

4° P. lat. rec. 206

4° P. lat. rec. 206

Spondano

QVATVOR

DAVIDIS PSALMI,

LATINO CARMINE

EXPRESS.

A.

IOHANNE SPONDANO



B A S I L E A E.

1584.

HENRICO SPONDANO
Fratri. S.



TVDES, mi frater, & diligenter satis, vt audio, sed si pietatē minimè excolis, non studes. Vt autē id non facias, neq; domestica institutio, neq; ciuitas ipsa, in qua moraris, pietatis cultrix, nec mores denique tui patientur. Amabo te plusquā dici possit si opinionem meam non fefelleris. Sed hic cultus perpetuitatem amat. Stadium hoc nimirum nobis omnibus hīc percurrendum est, laurea in cœlis obtinenda. Vide porrò quā te amem. Et studia tua, & pietatem tuam hoc nouissimo aculeo incito, quem tu, vt spero, non recusabis. Titulus libelluli docuit quid esset, docebit meliùs lectio. Psalmos nuper cū legerem, nescio quis me pœticus statim inuasit furor, vt à calamo mihi temperare non potuerim. Et ita mihi placuit vt in vno non constiterim. Quatuor selectos Latino versu scripsi, cæteros scripturus, si hoc specimen quantumuis paucis arriserit. Etiam post tot insignes Pœtas, Bezam, in quā, & Buchananum? Imò eo alacriùs, quòd summis viris calcatam hanc semitam video. Ego ponè sequens, & longè eorū adorans vestigia, illam eandem institi. Hic meus est non inuidiosæ æmulationis, sed pietatis feruor. Vt tu idem, me duce, facias cū versus volēs scribere (vt autē scribere scias quā maximè opto) author tibi sum. Tu quicquid erit lege, & me ama. Vale Basileæ Rauracorum Calendis Augusti 1584.



Psalm. 2.

AT quorsum hic strepitus? quid cōfluit ista fremētū
Scelerosa turba gentium?
Quorsum isti vana exagitati mente tumultus,
Et consilia hæc inania?
Quorsum conueniunt terræ, factō agmine, Reges,
Deoque Christoque illius
Prælia decernunt? Quin vincula frangimus, aiunt,
Iugūmque collo demimus?
Ista tamen certā eludit ludibria sannā
Cœli supremus incola.
Imò illos iustā compellans percitus ira,
Furorēque horrendus suo
His externabit verbis, Ego nempe Sionis
Regem sacrosancti hunc vnicum
Unxi: hæc ille, at ego edictum memorabo verendum
Quod ille de me sancijt.
Tu meus es, dixit, per amatus filius, ista
Charissime te genui die.
Tu modo posce, tuo, quicquid complectitur Orbis,
Regno potenti subdidi.
Tu gentes fræna imperio, populōsque cœerce,
Virgâque frange ferrea, &
Contere, conteritur facili olla vt fictilis iclu.
At vos Proceres ô per diti,
Iam sapite: & vos Orbis latissima longâ
Qui fræna cohibetis manu

4.
Iam iam deiecto seruite tremore Tonanti,
Læti & trepidantes insimul.
Filio & huic meritos exinde rependite honores,
Ne forte si succenseat,
Vos subito è medio auellat, simul illius ira
Præcordijs inarserit.
Quanta est illorum, spem qui in Dominoq; Deoq;
Suam locant beatitas!

Psal. 18.

Te toto ex animo, te tota diligo mente
Dxi Deus. Ille mihi Deus est tutissima rupes,
Ille meus vindex, meus impenetrabilis umbo,
Arx mea, præsidiumq; meum, cornuq; salutis,
Ille mihi turris qua hostem deludo ruentem.
Illum ego cum premerent inimicæ me vndiq; turmæ,
Auxilio, precibus mixta cum laude, vocavi,
Illicò opem sensi aduersis fugientibus armis.
Iam me stringebant mortis fera vincula, iam me
Ambibant Stygiæ contorto vortice fluctus,
Iamq; tegi tumulo exanguis pauidusq; videbar,
Sic me oppugnabat lethum vndiq; & vndiq; lethum.
Interea dum me tot dura pericula cingunt,
Celsa Dei supplex penetratia verbero voce
Vocem de solio facilis Deus audijt alto,
Atq; meas surda non respuit aure querelas.
Illicò humus tremere, & magni fundamine ab imo
Montes nutare, & solida compage moueri,

Horri-

5.
Horrida enim superùm Rectoris inarserat ira:
Illius nigri de nare volumina fumi
Undabant, rutilo flammâq; vomebat ab ore,
Et rapidas, quibus inflagrabant omnia, prunas,
Subsedere poli, descensuroq; Tonanti
Demisere suam cœlestia culmina molem:
Subdebant pedibus densa illi umbracula nubes,
Hinc Cherubum tergo mundi per inania vectus
Alipede aëreos findebat remige campos.
Ille igitur media nebularum in nocte latebat,
Et sua in obscuris tentoria celsa tenebris
Fixerat, æthereis late circumdata nimbis,
At simul illius vultu rutilante coruscus
Emicuit fulgor, fusca fugere tenebra,
Et grando rapidis cecidit glomerata fauillis:
Intonuit cœlo Deus, atq; per æthera vocem
Edidit, & crebrum crebra cum grandine fulmen.
Dissipat emissis hostilia castra sagittis,
Et procul attonita ingeminato fulgure perdit.
Tum patuere soli fundamenta vasta relecti,
Et sese in tantos tellus diffidit hiatus
Ut sibi suppositas cœlis ostenderet vndas,
Tam grauis illa fuit tamq; intolerabilis ira
Tempestas, Deus in totum quæ fulminat Orbem.
Inde manum cœlo in terras protendit ab alto,
Et me comprehensum rapidarum gurgite aquarum
Eripuit, sartumq; sero semouit ab hoste,

A 3

Elusitq;

Elusitq; minas, & quas inimica tetendit
 Insidias mihi turba hominum, ac conamina fregit.
 Hinc me ex angustiis spatiosum rebus in aequor
 Duxit, & illaesa uoluit superesse salute,
 Tanto me ille Pater complectitur almus amore.
 Illoc mihi pro merita nempe integritate rependit,
 Immunesq; manus scelerum hac mercede beauit.
 Namq; uias Domini rectas insistere amaui,
 Nec me illinc unquam impietas deflectere latum,
 Iustitiaeq; sacro exerrare a calle coëgit.
 Quin ego sancta Dei studiosa mente reuolui
 Mandata, illa meis nec sum discedere passus
 Ex oculis, totum sed triui tempus in illis.
 Cetera cum Domino purus, fucosq; remoto
 A prauo rectos compressi tramite gressus.
 Ergo mihi Deus ex uita hac candore rependit,
 Immunesq; manus scelerum hac mercede beauit.
 Tu mitis mihi, puro, Deus optime, purus,
 Tu iusto iustus, uasro tu deniq; uasfer.
 Ergo tuos dura si quando sorte prementur,
 Immunes, Deus, instantis tutabere damni:
 Grande supercilium contra, fastumque domabis,
 Disyctisq; hominis turgentia corda superbi.
 Inde mea accendis clara funalia luce,
 Ac rutilante meas uincis fulgore tenebras.
 Tu mihi praeceleri donasti excurrere planta,
 Auxilioque tuo celsissima moenia promptus

Transi

Transilio. Plana est Domini⁷ uia, & illius igni
 Sermo repurgatus: quisquis spem ponit in illo,
 Ille suo hunc clypeo securum protegit. Ecquis
 Ecquis enim Deus est usquam nisi tu Deus? ecquis
 Aequiparanda Deo iactat sua robora nostro?
 Ille idem validis cingit me uiribus, idem
 Ille mearum aequè complanat strata viarum:
 Ille meos pedibus ceruinis aequat, & alta
 Despiciente procul damnum me in sede reponit.
 Tu mihi agiles ad bella manus obeunda dedisti,
 Tu tantas mihi suppeditas in corpore vires
 Ut mea dextra potens chalybeos conterat arcus:
 Subq; tua clypeo tu me tutare salutis,
 Et fortis tua me labentem dextera fulcit,
 Atq; amplas mihi semper opes largitur egeno.
 Tu mihi, quâ nunquam uestigia lubrica lapsent,
 Aequalem facilèmq; uiam tuto aequore sternis.
 Si quando forsâ fugientes insequor hostes,
 Assequor, & sterno, stratos gladioque cruento
 Transfodio, ante pedem medio nec ab agmine flecto
 Quàm iaceant omnes internecione perempti:
 Sic profligatos multa ui contero, & illos
 Sic pedibus conculco meis, sic deniq; terra
 Affigo, ut nunquam reparata strage resurgant.
 Tu valido siquidem me ad praelia robore cingis
 Ut qui me aduersum insensis consurgeret armis
 Protinus acciso rueret mihi poplite: tu mihi

De

Deuicti iugulum feriendum porrigis hostis:
 Tu quicumq; odio mecum eluctantur acerbò
 Disperdis. Clamant illi, poscuntq; Tonantem
 Auxilio, sed stant illi sine vindice, nec tu
 Exaudire illas cœlo dignare querelas.
 Hos ego, ceu tenues tenuis qui iactus in auras
 Vencorum insano correptus turbine puluis,
 Comminui, & coenum veluti triuiale subegi.
 Tu conturbato me seditionis ab æstu
 Eripis, & summo populus pro Principe donas,
 Ignotasq; mihi gentes mihi subijcis, imò
 Audito obsequium solo mihi nomine præstant,
 Et fictis animis sese in mea vincula tradunt
 Longinqui omnino populi, tremor occupat illos
 Ingens, & castris pavitant trepidantq; remotis.
 Ergo Deus viuat, mea concelebretur & illa
 Rupes, laudeturq; meæ tutela salutis
 Ille Deus, Deus ille mihi qui sub iuga gentes
 Mittit. Tu à seuo securum me asseris hoste,
 Atq; inimicorum facto eripis agmine, & illo
 Immani seuoq; viro, qui tot mihi vita
 Insidias struxit. Quare te, summe Deorum,
 Laudabo, Deus, & gentes celebrabo per omnes,
 Nomini & ampla tuo laudum psalteria fundam.
 Quippe sui Deus est assertor Regis, & vncto
 Non spernenda suo largitur dona Dauidi,
 Hæc q; in venturam manat Clementia prolem.

Pfalm.

Pfalm. 104.

Euge Dei, mea Mens, immensas dicito laudes,
 Euge, Anima, Aeterni Domini præconia canta.
 Ille Deus mihi magnificus, Deus ille verendus
 Augusto sese, & fulgente decore perornat.
 Splendida lux illum radioso lumine vestit,
 Ille ampli cœlos comopei porrigit instar:
 Sunt liquidis illi laqueata palatia lymphis,
 Pro celerihinc illinc, volitantia nubila, curru,
 Pro leuibus, venti velocior impetus, alis,
 Aura illi obsequitur, flammæ rapidæq; ministrant.
 Ille suo stabilem librauit pondere terram,
 Et nullo ruitura illi fundamina sæclo
 Concessit. Sedenim vasto illam profus abysso
 Interferat, & celsis fluitabant montibus vnda:
 At tua terribilis simul ac vox increpat illas,
 Et tua suprema sunt mota tonitrua cœlo
 Ille fulmineo repetunt sua littora cursu,
 Montes creuere, & valles tua iussa sequuntæ
 Mox sese, quam tu posuisti, in sede reponunt.
 Protinus aquoreis cancellos præstruis vndis
 Quos nunquam superet, nūquam facto impete frangant,
 Mersura & miseræ ructene stagna horrida terras:
 Tum liquidos fluere in torrentia flumina fontes
 Mittit, at illa vno percurrunt agmine valles,
 Unde sitim campis torrentem animalia sedent,

B Pleno

10

Pleno ubi uterq; Onager sitiens se proluat ore.
 Illorum statuunt volucres ad littora nidos,
 Et placidis vacuas implent concentibus auras.
 At Deus è supero præcelsos æthere montes
 Irrigat, & sterilem stillatis roribus auget,
 Ac fecundat humum, & diuersis fructibus ornat,
 Prouentusque beat largè redeunte colonos.
 Gramina iumentis, nostros olera optima in vsu
 Procreat, & varia ex tellure alimenta ministrat:
 Hinc generosum hilarans hominis præcordia vinum,
 Hinc oleum cuius noster nitet unguine vultus,
 Hinc qui homines solido sustentat robore panis.
 Quinetiam arboribus saturas humore medullas
 Sufficit, & Libani, quas eius dextera, cedros
 Conseruit, largo per inania promouet imbre,
 Ad volucrumque domos patulis inolescere ramis
 Iussit, & ingentes inducere frondibus umbras:
 Hos etiam abietibus rores impertit, ut illis
 Tuta suos ponat peregrina ciconia nidos.
 Te statuente leues celsis in montibus errant
 Dorcades, & querit saxosa cuniculus antra.
 Per te Luna suos stabilito tempore vultus
 Mutat, & occasu pergit se condere Titan.
 Hinc Orbem furuis nox circumplectitur alis,
 Et tota sparsa nigricant tellure tenebra.
 Tunc exire feras, vastisq; erumpere ab antris
 Cernimus, ac catulos sauum rugire leonum.

Et

11

Et quancunque Deus dederit conquirere prædam.
 At simul emicuit solis iubar, ilicet antris
 Conduntur rursus, solitas repetuntq; cauernas.
 Tunc securi homines campo egrediuntur aperto,
 Inq; manus opus assumunt durante diurnum
 Luce, suosque vrgent multo sudore labores,
 Dum solem fuscis immerferit Hesperus vndis.
 Heu quàm magna tua est manus, ô Deus, ô tua quanta
 Sunt opera! heu ô quanta tua est sapientia per quam
 Omnia fecisti! quàm larga & diuite dextera
 Dextera diuite opum terras, Deus alme, beasti!
 Ipsa tuas quoque opes vaga continet Amphirite,
 Et te munificum spatioso in littore sentit.
 Quàm multis etenim scatet ingens piscibus æquor?
 Aut quot monstra fouet, magna monstra horrida mole,
 Exiguus pariter permixta animantibus? Illic
 Incedunt Naues, quas circum immania cete
 Lasciuo vitreum conturbant impete marmor.
 Omnia te spectant vnum, & sua tempore certo
 Expectant alimenta, tuæ gratissima dextera
 Munera, & accipiunt quæ tu illis cœlitus offers:
 Te pendente manum plenè satiantur ab illa.
 At simul ille tuus splendor se condidit almus,
 Et subtracta tui deprendunt dona fauoris,
 Conturbantur, & examines mox corporis artus
 Deponunt, vitamq; tibi, Pater optime, reddunt,
 Ac sese in cineres penitus corrupta resoluunt:

B 2

At in

At tu illis animam simul ac, Deus, indere rursum
 Dignaris, rursum illa noua ratione resurgunt,
 Et sese in varias permutant viuida formas.
 Gloria summa Deo sit sæcula in omnia factis
 Latetur Deus ipse suis, operumque verendo
 Caudeat ornatu. Terram simul ille corusco
 Inspexit vultu, quatitur magno illa tremore,
 Et tactis rutilos de montibus elicit ignes
 Permistos fumis. Summo cantabo Tonanti
 Dum viuam, psallamque tibi dum spiritus artus
 Hos reget. ò utinam quæ posthac cantica pangam,
 Sint accepta illi, mire letabor in ipso,
 Cuncta mea inq̃ Deo statuentur gaudia solo.
 Impia vos hominum turba hinc discedite longe,
 Funditus & tota scelerati absistite terra,
 Donec nulla usquam restent vestigia vestri.
 Euge Dei, mea Mens, æternas dicito laudes,
 Vos reliquæ cantate Dei præconia gentes.

Psalm. 137.

Mœsta sedebamus captiuamq̃ turba piorum
 Crudelis crudas ad Babylonis aquas.
 Stillauère oculis lachrymarum flumina nostris,
 Et gemitus mixtis planctibus edidimus:
 Scilicet illa animo Solymæ iactura redibat,
 Et spretus, tantus qui fuit ante, Sion.
 Hinc muta ad salices suspendimus organa, & illo
 Tempore non tactæ conticuère lyra.

Tunc

Tunc ferus ille, manum cuius male sensimus, hostis
 Latificum iussit nos resonare melos.
 Ipsaq̃ sacra ipsis petijt modulamina verbis
 Quæ caneret sancta sanctus in Urbe chorus.
 At qui nos, quæso, hæc alienis cantica terris,
 Cantica supremo nempe dicata Deo
 Heu? cantassemus, quin tam grauis error abesto,
 Auris vt hos hymnos vlla prophana bibat.
 Quin potius sacros opto vt mea nesciat hymnos
 Dexteræ, quàm Solymæ non memor esse meæ.
 Hereat ipsa meo prius arida lingua palato
 Excidat ex alta quàm mihi mente Sion,
 Aut me quàm vlla hilari pertentent gaudia cantu
 Quàm qui de Solyma suauiter vrbe canit.
 At tu horum memor esto, Deus, quæ gens fera Idumes
 Illâ eructauit verba proterua die,
 Quâ Solymæ excidium miserabile contigit urbis,
 Hæc hæc, clamabant, mœnia diruite,
 Extirpate, æquate solo, ac fundamine ab imo.
 Vertite, & hos medio perditæ in igne lares.
 At qui olim quoque tu, Babylon, vastabere, & ista,
 Quamuis celsa, tamen tu ratione rues.
 Felix ille tibi qui nostra hæc damna rependet,
 Cuius tu vltices experière manus:
 Quiq̃ tuo direpta sinu charissima, toruus,
 Illidet saxis pignora sanguineis.

B 3

Deo

DEO OPT. MAX.

HAEC tibi sacra sacri sectans vestigia Vatis
Quam possum pura succino mente, Deus.
Te mea nam tenuis quantumvis spirat, & ardet
Cælestis vere nominis Uranie.
Hanc ego iam dudum deusis ex omnibus unam
Selegi, ut calami dux foret illa mei.
Tu nobis animos, tu solum suffice vires,
Tu nostris genium suffice carminibus.
Sordida conscribant alij argumenta Poëtæ,
Unum est quod placeat mi Pietatis opus.

Habui pleraque aliâ poemata quæ potuiffem euulgare, primam præcipuè & secundam heptomadam Barta si nostri, quas ego quoque Latino carmine ferè expressi, sed intra paucos menses integrum opus cum alijs quibusdam, Deo dante, ex hibebo.
Tu, mi Henrice, intereà Vale.

F I N I S.